DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PODAGRA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICI DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES KNAPP,

Anglus.

Neque dubium est, quin vix quisquam qui per hæc morbo occurrit, ægrotet.—CELS.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

HENRICO TERRY, ARMIGERO,

OLIM E MEDICIS EXERCITUS BRITANNICI,

NUNC VERO

NORTHAMPTONIÆ ARTEM APOLLINAREM

FELICITER EXERCENTI,

BENEFICIORUM PLURIUM HAUD IMMEMOR

NEC SOLICITUDINIS OBLITUS,

QUA EJUS MENTEM REI MEDICÆ PRINCIPIIS IMBUIT;

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMO GRATISSIMO

DEDICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PODAGRA.

Auctore JOANNE KNAPP.

SI in argumento, de quo disputem, parum novitatis proponam; si opiniones, quas proferre in animo est, quibusdam inanes esse videantur, aut si plurima admodum jactata remedia prætermittam, quæ in priscis et nostris temporibus ad hanc diram luxuriæ, desidiæ et intemperantiæ pestem arcendam dari solent; spero tamen a Professoribus Almæ hujus Academiæ hoc tentamen, quam-

vis mancum et imperfectum, candide acceptum iri.

De arthritide multa antiqui literis mandarunt. Hippocrates* et Celsus †, sub nomine Podagræ, alii Arthritidis, hunc morbum descripserunt. Anglice nominatur "*Gout*," quasi lacrymarum fluxum vel alicujus humoris significans. Parvi interest, quo nomine utamur, dummodo medicis bene intelligatur. Sydenhamus illustris lucidam hujus morbi descriptionem nobis tradidit: multa de hac re medicorum observatione digna scripsit; et, ni fallor, præcepta quæ edidit apud hodiernos perutilia ducuntur. Vix necessarium est nomina auctorum temporis nostri, qui tam ingeniose et lucide de variis Podagræ formis scripserunt, meminisse; sed opinionibus quas protulerunt fretus, brevem hujus morbi descriptionem tradere incipiam.

* Hippocratis Aphoris. κέ. Sectio quinta. Τὰ δὲ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα.

† Celsus, Lib. iv. sect. xxiv. In manibus pedibusque articulorum vitia frequentia longioraque, &c.

Podagra, Classi "*Pyrexiæ*," et Ordini "*Phlegmasiæ*," a CULLENO subjicitur. MASON GOOD, et alii auctores, in eodem loco Nosologiæ Arthritidem collocarunt. A CULLENO verbis sequentibus definitur:

"Morbus hæreditarius, oriens sine causa evidente, externa vel præeunte, plerumque ventriculi affectione insolita, pyrexia, dolor ad articulum et plerumque pedis pollici, potissimum infestus; per intervalla revertens, et sæpe cum ventriculi vel aliarum internarum partium affectionibus alternans."

Ab auctore supra citato in formam duplicem dividitur; nempe in Regularem et Abnormem. Podagræ abnormis tres varietates, formæ regularis unam descripsit: videlicet, Podagram regularem cum inflammatione artuum satis vehementi per aliquot dies perstante, et paulatim cum tumore, pruritu et desquamatione partis accedente.

Podagra (atonica) cum ventriculi vel alius partis internæ atonia; vel sine expectata, vel subita

artuum inflammatione, vel cum doloribus artuum levibus tantum et fugacibus, et cum dyspepsia vel aliis atoniæ symptomatis subito sæpe alternantibus.

Podagra (retrograda) cum inflammatione artuum subito recedente, et ventriculi vel alius partis internæ atonia mox insecuta.

Podagra (aberrans) cum partis internæ inflammatione vel non prægressa, vel prægressa et subito recedente inflammatione artuum.

Scudamore contendit, Podagram semper esse idem malum, natura corporis, et victu, vitæ genere, &c. mutatum. Mason Good mentionem fecit trium varietatum: satis constat, hunc medicum varietate complicata, et Podagram retrogradam et aberrantem Culleni includere. Inter omnes convenit, arthritidem ligamenta juncturarum, et per consensum, corpus totum afficere, maximeque eos, qui proclivitatem a parentibus acceperint. Plerumque homines plenos, robustos et corpore mucoso crassiori donatos, affligit; ali-

quando fœminas, mensibus jam fluere cessantibus, vel quæ prius menorrhagia laboraverint, invadit. Eunuchos, vel pueros ante coitum, raro tentat. Tenellos fandi adhuc impotentes rarissime aggreditur; juventutem raro, ætatem virilem sæpius, et fere semper senectutem comitatur, si antea ætatem adultam afflixerit. Sub finem hyemis aut autumno ingruere solet; tamen omni anni tempestate incidit. Labe hæreditaria præditos, præsertim si luxui, crapulæ, et ebrietati se dediderint, præ cæteris angit. Vix aut ne vix quidem, temperate et naturæ convenienter vivere solitos, paupertate obrutos, adoriri potest; quippe qui, præ opibus deficientibus, incitamenta podagræ, nempe, epulas lautas, vina meraciora, ignaviam, et cætera, sibi comparare nequeunt.

MORBI SYMPTOMATA.

Morbi signa commode dividuntur in ea, quæ paroxysmum antecedunt; atque ea, quæ hunc ipsum constituunt; necnon ea, quæ eundem se-

quuntur. Postea, brevem signorum enumerationem quæ Podagræ abnormi contingunt, tradam.

Paroxysmus a languore et lassitudine incipere solet; arteriarum pulsus fiunt tardiores et exiliores; cor aliquando palpitat; respiratio sæpe gravis, interdum naturalis; ventriculi actio fere semper dilabitur, et signa pessima dyspepsiæ urgent; facies pallet et collabitur, timorem mali instantis bene exprimens; mens anxia et irritabilis morositatem insolitam ostendit; pedes inarescunt, et membra inferior a frigore torpent; pars affecta tumescit, et sensu coarctationis afficitur. Secernenda interim fere omnia vitiantur vel reprimuntur; halitus cutis suppressus, fœtidus aut glutinosus, aliquando acoris indicia præ se fert; urina, modo albida modo turbida, sæpe insuavi odore, allio simili, infesta. Hæc signa pro rata parte horrorem antecedunt, et per plures dies ægrum torquent, donec paroxysmus ingruat, cujus omnia indicia sensim ingravescunt. Nam pulsus plenior et citior fit; palpitatio, si adfuit, vehementior; respiratio gravior et laboriosa, sæpe suspirio comitata; animus plurimum turba-

tus; oculi nitidi, et feroces; vultus angore et formidine plenus, vires cibi concoctrices ex toto labefactantur; nausea, sæpe vomitus et ructus, adsunt; dolor adeo intenditur ut vix sit tolerabilis, et musculorum contractiones abnormes excitet; venæ turgescunt; urina crassior et saturior, ex qua quod subsidet furfuri subsimile est. Paroxysmus vespere vel concubio ingruens, per noctem ægrum insigniter cruciat, qui auroram versus vel postero die melius se habere cœpit; sæpe vero sine ulla remissione evidente per multos dies æger diro morbi cruciatu affligitur. Tandem paroxysmus gradatim evanescit, arthriticum pene exhaustum atque viribus fractum relicturus. Sic primus morbi insultus absolvitur; nec per tempus longum, nec pro certo redibit, si medicamentis et regimine idoneo ejus ingressui occurramus. Sed perraro morbum tam efficaciter præcidimus ut ei recidivo obviam eamus; nam morbo semel excitato, corpus accessionibus subsequentibus tanto magis patet. Morbo, igitur, furtim inveterante, signa formam graviorem induunt, functiones animi et corporis labescunt; mens tristis, pertinax, et morosa; juncturæ fere omnes

morbo implicatæ; materia cretacea vasis externis secernitur; tendines crassi et rigidi; bursæ mucosæ formam conglobatam induunt; musculi modo convelluntur, modo spasmo tonico rigescunt; dolor vagus et fere perpetuus adeo corpus cruciat, ut vitam angore et ærumnis degere expertem vix arthritico liceat. Podagræ atonicæ est gastrodyniam inferre; ad hæc pravæ concoctionis indicia accedunt cordis, pulmonum, atque præ omnibus renum vitia, quæ omnia plerumque simul concurrunt; nam palpitatio vehemens, angore et dyspnœa conjuncta, atque dolor circa renes sæviens, simul urgent. Cephalalgia, vertigo, apoplexia, et paralysis, vel saltem indicia alia torporis generis nervosi, adsunt. Si inflammatio in partes internas subito vertitur, animi defectionem haud raro inducit. Signa vero, quæ solertiam maximam et animadversionem sibi vindicant, ea sunt, quæ ad incitationem cordis et arteriarum referenda sunt, quæ præcipue in varietate Aberrante CULLENI oriuntur. Eadem indicia sese manifestant ac in variis speciebus inflammationis internæ, dolor enim auctus pressu, urens, atque respiratione difficili, pulsu duro, veloci et debili

stipatus, hanc formam podagræ clare denotat, cum hæc, signis aliis morbo propriis concurrunt.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Labes hæreditaria, habitus plenior et robustior, victus lautus, intemperantia omnigena, desidia, vel morbi prægressi, homines ad hunc morbum suscipiendum procliviores reddunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causæ quæ morbum excitant, vel externæ vel internæ sunt. Inter illas, omnia quæ partem irritant, vel ejus inflammationem inducunt, vi externa illata aut remediis chemicis. Inter has, quæ statum corporis generalem perturbant, sicut, affectus animi deprimentes; exanthemata repulsa; acria ventriculo et intestinis inhærentia; morbi alii; calculi in renibus, ureteribus, vesica aut urethra; pneumonia; asthma; hepatitis; om-

nia quæ debilitant et corpus mobile et caducum reddunt, in iis qui labe hæreditaria ad morbum procliviores sunt; videlicet, profluvia, vigilia, venus immodica, exinanitiones nimiæ, et alia ejusmodi, paroxysmum Podagræ inducere possint.

CAUSA PROXIMA.

De causa hujus morbi continente alii alia senserunt. Alii, Boerhaavium secuti, statui morbido, sive fabricæ vitiosæ nervorum et vasorum; alii acrimoniæ humorum propriæ; alii sali alkalino; alii acido, podagram attribuunt. Stroud, qui solertia et diligentia causas et naturam arthritidis indagavit, opinionem theoriæ Boerhaavii haud absimilem protulit, et verbis sequentibus utitur: "Si enim quod scientia comprehendi nequit conjectura prosequi licet, natura arthritidis intima sive causa proxima ut dicitur, mihi quidem nihil aliud videtur, quam affectio quædam generis nervosi peculiariter morbosa in multiplici illo abdominis labyrintho qui nervis vagis et sympatheticis magnis conflatur potissimum ex-

oriens, et alios demum nervos per consensum interpositum diffusilis, fibris tandem musculorum et vasis sanguineis, vel spasmum vel inflammationem sui generis illatura, unde ipsa rursus nervorum affectio gravior facta, neque ullis viribus corpori insitis vincenda, morbus perpetuus evadit, et sensim sua sponte augetur *."

Cullenus illustris, qui argumentis multis theoriam materiæ morbidæ refellit, comminiscitur in statu corporis pleno et robusto causam consistentem, et paroxysmum ex imbecillitate partium oriri, quæ sæpe omnes corporis partes, sed præcipue ventriculum afficit, quam validus virium naturæ renixus excipit. Ego vero in re tam obscura tamque ardua ullam sententiam inire vix ausim: constat vero, morbum fere nunquam ab inflammatione specifica immunem esse, quæ in aliis partibus corporis alios exhibet effectus, prout partes externas, ligamenta, tendines, ventriculum, pulmones, renes, hepar, vel aliud quodvis viscus aggrediatur.

---

* Dissertatio inauguralis De Arthritide, anno MDCCCXIX. excusa.

DIAGNOSIS.

INTERDUM difficile est Podagram a Rheumatismo dignoscere, præsertim si æger indolem arthriticam a parentibus se accepisse negat. Uterque vero morbus propriis signis distinguendus est. Rheumatismus homines omnis ætatis, atque cujusvis corporis fabricæ, aggreditur; articulos potius majores atque musculos occupat, neque uni tantum sedi eodem tempore infixus, neque materiam cretaceam, quæ podagræ propria est, gignit. Causæ externæ vel internæ arthritidem furtim moliuntur; contra, rheumatismus a causis manifestis, velut frigore, humore, cœlo intempestivo, calore nimio, originem ducit, nec per intervalla revertitur, et semel fugatus raro solet redire. In rheumatismo, pyrexia gravior, parum tumoris aut ruboris, dyspepsia raro adest. Ligamenta et membrana synovialis in arthritide præcipue torquentur, et fere semper podagra affectione symptomatica renum et ventriculi comitatur.

PROGNOSIS.

Quo medicus de eventu futuro rite judicare possit, ad signa atque ægrotantis ætatem, morbi diuturnitatem, et organa affecta, respiciat necesse est. Ubi morbus hominem florentis ætatis, secunda adhuc valetudine atque viribus integris fruentem, corripit, spes bona est. Quod si morbus diu perstiterit, si corpus admodum mobile, juncturæ rigidæ, accessus paroxysmorum frequentissimi, æger vitam diu protrahere potest, quamvis morbi atrocitas quam intolerabilem reddat. Præterea, si morbus cor, pulmones, ventriculum aut alia viscera afficit, singultum, vomitum, intensum dolorem inspiratione plena vel motu inducens, æger in ancipite versatur.

DE MEDENDI RATIONE.

Tot tamque varia remedia a medicis atque empiricis ad hunc morbum debellandum data fue-

runt, ut vix intra limites hujus opusculi omnia possit enumerari. Neque mirum est, medicos atque etiam circumforaneos summis viribus nixos esse, ut remedium ad morbum luxuriosis et divitibus tam infestum, invenirent: quis enim a locupletibus melius meretur, quam medicus qui dolorem tam atrocem, lenire aut arcere, vel corpus labefactum ad pristinam sanitatem perducere polleat. Vetat autem natura epulatores et ventri obedientes artis Hippocraticæ præsidio frui, donec vivendi rationem suis legibus magis consentaneam instituant.

Accessione ingruente, modo æger juvenis et robustus sit, missio sanguinis, hirudines parti agglutinatæ vel cucurbitulæ cruentæ, ad inflammationem compescendam remedia præstantissima sunt; contra, si ægrotans plurimis accessionibus vexatus fuit, si paroxysmi in ætate provecta adoriuntur, si ægrotans debilis, angore fractus et mobilis, jactura sanguinis quandoque malum auget, et multo melius quieti et patientiæ, (parte affecta panno laneo circumvoluta), quam viribus dubiis medicamentorum fidere. Multi opiata et sudorifica ac-

cessione jam urgente exhibent; morbosam vero proclivitatem augent, mobilitatis signa impensim provocando, ni paroxysmi tempore deducunt. Alii parti dolenti et tumefactæ refrigerantia, ut aqua gelida per se vel aceto mixta, admovent *. Si vires ægrotantis validæ neque ullo alio morbo participant, si pars rubra et tumefacta, si artus unici morbo corripiuntur, et inflammationis cujusvis visceris affecti indicia desunt, interdum aqua frigida, vel alia refrigerantia, parti affectæ affusa, fructuosa sunt. SYDENHAMUS et CULLENUS, aquam gelidam et alia remedia frigida parti admota, ex toto prohibent. SCUDAMORE tepidam misturam ex alcohole et camphora compositam laudat. Cataplasma multis et farina aliis extolluntur; farina certe innocua est; ergo rite locum

---

* Vide MASON GOOD'S "Study of Medicine," art. Arthrasia Podagra, vol. ii. pag. 518. et seq.—CELSUS, Lib. iv. pag. 156., his verbis utitur: "Si vero tumor colorque est, utiliora sunt refrigerantia, recteque in aqua quam frigidissima articuli continentur, sed neque quotidie, neque diu, ni nervi lædantur. Imponendum vero est cataplasma quod refrigerant; neque tamen in hoc ipse diu permanendum, sed ad ea transeundum quæ sic reprimunt at emollient."

habet inter remedia. Alvus salibus lenibus leniter solvenda, vel infuso Cassiæ sennæ, pulvere Convolvuli jalapæ aut Rhei palmati; omnia quæ corpus irritant, sive vi externa aut interna agunt, sedulo præcavenda, qualia sunt lux vivida, soni, remedia stimulantia, compressio, ictus, affectus animi, alvus tarda, et calor nimius.

Proximum est, ut de remediis adversus formas abnormes aliquid dicam. Formæ atonicæ et retrogradæ, stimulantia et roborantia optime conveniunt, quæ in varietate aberrante adhibita, vel morbum magis infelicem aut ægrum e vivis expulerent. Remedia pro ratione signorum adhibenda; si enim ventriculus frigore gracili torpet, vel spasmo constrictus, qui ad pulmones, musculos respirationi inservientes, vel ad pleuram serpit, nihil laude magis meretur quam medicamentum quod opii, cum æthere sulphurico componitur. Si spasmus actionem cordis pravam, velocem et abnornem infert, plus valeant alcohol, aut per se, aut aqua calida conjunctum, aromatica, et olea volatilia, vel infusum Capsici annui, aut subcarbonas ammoniæ. Si cerebrum afficitur partem

totam capitis a fronte ad occiput emplastro meloë vesicatorio tegere oportet, mitioraque stimulantia, ut spiritus juniperi dilutior, ægro porrigenda. Si renibus morbus insidet, demulcentia et opiata utilissima sunt. Hæc solummodo dolore jam urgente ministranda, interim ventriculus diæta tenui, nutriente et paululum stimulante, firmandus; exercitatione modica utendum est; et si opus sit, tonica, videlicet, præparationes ferri, vel cortex Crotonis Eleutheriæ aut Columbo, vel pulvis Rhei palmati, parva quantitate devoranda. Hæc varietati retrogradæ idonea, denique affectio interna, si potest, ad partes externas revocanda, frictione, balneo tepido, aut stimulantibus, ut usu moxæ, emplastro lyttæ, vel cataplasmate stimulanti; nec unquam cibi receptaculum, nec intestina cibo crudo, aut fæcibus acribus, gravari debent; ventriculo enim crapula exhausto, prædispositio ad morbum suscipiendum augetur, et ad partem debiliorem transfertur; hoc modo varietas retrograda, luxuriosis familiaris, et vix debellanda.

Ad formam aberrantem ea potissimum remedia valent, quibus ad inflammationes viscerum coarcendas utimur.

DE ACCESSIONIBUS ARTHRITICORUM PRÆCAVENDIS.

Signorum idonea subactio quæ ingressu primo morbi oriuntur, certe multum operæ confert ad paroxysmum coarcendum, sic enim proclivitas diminuitur. Æger insuper præcipiendum est, ut animum literarum studio, atque corpus laboribus strenue exerceat, at ebrietate vero atque epulis nimis lautis sibi temperat. Celsus hoc profert consilium: "Ubi dolor et inflammatio se remiserunt, quod intra dies quadraginta fit, nisi vitium hominis accessit, modicis exercitationibus, abstinentia, coctionibus lenibus, utendum est. Quibus vero articulorum dolor certis temporibus revertitur, hos ante et curioso victu uti oportet, ne inutilis materia corpori supersit, et crebriore vomitu; et si quis ex corpore metus est, vel alvi ductione uti vel lacte purgari." Commode exercent pila, halteres, natatio et remigium, et quocunque modo brachia præcipue jactantur; pedes contra longa ambulatione, vel saltem fatigatione, alienum

est. Si pravæ concoctionis signa se manifestant nausea, ructu, flatu, et aliis indiciis, æger imprimis bibat haustum aquæ unciam cum dimidia et pulveris ipecacuanhæ scrupulum continentem, actio cujus infuso tepido florum Anthemidis nobilis promovenda; die postero semunciam sulphatis sodæ cum granis decem pulveris Rhei palmati capiat. Si dolor corripit partes extremas, adolescente adhuc integro et valido, vena secta sanguis, ad uncias decem vel duodecim mittendus est; et ni angor fugatus, hirudines parti imponendæ sunt: "Ubi sentiri cœperunt (id est dolores) sanguis mittendus est; id enim inter initia statim factum, sæpe annuam nonnunquam perpetuam valetudinem bonam præstat *." Si morbus diu traxerit, corpus levi stimulo exercendum, sive gestatione aut navigatione; et cibus concoctu facilis dandus est, nec ægrum a vino abstinere oportet, si votis Bacchi prius obediit. Sunt et alia remedia quæ paroxysmo obstare dicuntur. Hæc omnia quidem vi ignota et incerta agunt, et multa sæpe periculosa quamvis antidota

* Celsus, Lib. iv.

extolluntur. Sat enumerare, Colchicum, pulverem Portlandicum, plantas amaras, sed præcipue Gratiolam, Gentianam luteam, Centaurium minus, Teucrium chamædryum et chamæpytum, Columbo, Helleborum nigrum, Veratrum, Scammonium, Elaterium, Fragarias. Sales antacidi, nempe Carbonas Sodæ, Carbonas Potassæ, Aqua Calcis, et Carbonas Magnesiæ, a multis vim specificam continere putantur; certe dolorem nephriticum levant, et acrem absorbent, sed qua alia ratione paroxysmi reditum prohibeant, nescio.

"Finem tandem argumento satis difficili sat asseverare, arthritidem malis plerumque moribus enatam vel saltem innixam, minus medicamentis quam idonea victus ratione debellandam esse, idque non exigui spatii sed totius vitæ opus esse, atque minus medici quam ægri negotium esse; omnibus præterea notissimum esse, nulla fere præcepta perpetua artem Apollinarem recipere, neque ullum extare remedium, quin solo tempestivo usu et prudentia administratione, tale fiat."

FINIS.